

TRIBUNAL SUPREMO DE LA SIGNATURA APOSTOLICA
(Prot. 12230/80 C.A.-Legionen)

DERECHOS (VIOLACION DE LA LEY EN LA DECISION
DE UN DICASTERIO ROMANO)
Sentencia definitiva de 22 de agosto de 1987 (*)

SUMARIO:

I. *Species facti*: Unión extintiva del Monasterio de Vega de la Serrana con el de la Santa Cruz de Sahagún, y condiciones de la posterior erección del Monasterio de la Ascensión de Zamora. II. *In iure et in facto*: A) Los derechos de que se trata son unos objetos histórico-artísticos depositados en los archivos leoneses por el Monasterio extinguido de Vega, y cuya propiedad y entrega solicita el Monasterio erigido después en Zamora. El actor es el Obispo de León. B) Mente de la Congregación de Religiosos y ejecución de la misma. Recurso del archivero leonés, decreto formal de la misma Congregación, y recurso a la Signatura. C) Normas legales de las que se trata en el caso. Los bienes del Monasterio extinguido pertenecen al Monasterio de Sahagún, y no se transfirieron al de Zamora, siendo además el derecho civil español aplicable el que impide la restitución del depósito. Consta la violación de la ley «in decernendo» por tres capítulos.

(*) Solo elogios merece la actitud del Sacerdote-Director del Archivo Diocesano de León y Secretario del Centro de Estudios e Investigación 'San Isidoro' por su solicitud y fidelidad en la custodia de los bienes depositados de los que era reponsable inmediato. Un Monasterio de benedictinas entrega en depósito unas pinturas y pergaminos en el Centro leonés. Suprimido dicho Monasterio sus bienes pasan a ser propiedad del Monasterio de Sahagún al que pasan los bienes junto con las monjas. Tiempo después, y con monjas del Monasterio de Sahagún, se erige un nuevo Monasterio en Zamora, el cual, pasados tres lustros, reclama los bienes depositados, argumentando que la propiedad de los mismos le fue otorgada por el Monasterio de Sahagún.

Ante tal petición, el Obispo de León, en 1979, responde que no puede acceder porque los bienes depositados pertenecen al Monasterio de Sahagún, a pesar de un acta de este último Monasterio en el que se dice que los bienes son del Monasterio zamorano. Tras nuevas actuaciones, la Congregación de Religiosos e Institutos Seculares opina que los bienes en cuestión pertenecen al Monasterio de Zamora, y desea que se llegue a un acuerdo amistoso, designando un ejecutor que manda que se entreguen los objetos depositados al Monasterio de Zamora, aunque subsista la duda acerca de la propiedad de los mismos. El Archivero de León recurre esa decisión, y ante su reiteración interpone el correspondiente recurso ante la Congregación de Religiosos, la cual decide, el 20 de febrero de 1980, que los bienes en depósito son de propiedad del Monasterio de Zamora, y que las partes del contrato de depósito existente son el Monasterio zamorano y el Centro 'San Isidoro' de León.

Contra este decreto se recurre ante la Sección Segunda de la Signatura Apostólica el 15 de abril de 1980. El Supremo Tribunal, a tenor del derecho civil español, que es el derecho aplicable por remisión al mismo del viejo canon 1529, y del propio ordenamiento canónico relativo a la unión extintiva de las personas jurídicas, reconoce que los bienes son propiedad del Monasterio de Sahagún; que el contrato de depósito subsiste entre el citado Monasterio —sucesor del de Vega de la Serrana— y la Diócesis de León; y que, en consecuencia, la Congregación de Religiosos e Institutos Seculares, con su decreto, violó la ley 'in procedendo' por tres capítulos.

I. SPECIES FACTI

In Monasterio Monialium OSB sic dicto 'De Vega', in dioecesi Vallisoletana sito, pos bellum civile Hispanicum habebatur Communitas 16 Monialium OSB, quarum plus quam dimidia pars inhabilis erat ad vitam monasticam apte ducendam, alterae autem Moniales propter qualitatem personarum, propter defectum adistentiae spiritualis necessariae necnon propter adversum animum partis vicum inhabitantium nullam amplius spem habebant vitae monasticae plene restaurandae. Quapropter Abbas Monasterii de Montserrat, D.nus Aurelius M. Escarrè, officio Visitatoris Apostolici Monialium OSB in Hispania fungens, post diligens studium et diuturnas considerationes necnon obtento consensu unanimi Monialium dicti Monasterii de Vega, et insimul Monialium OSB Monasterii S. Crucis de Sahagùn, in territorio dioecesis Legionensis constituto, atque consentientibus Ordinariis locorum utriusque dioecesis (Vallisoletae et Legionis), Sanctae Sedi proposuit, ut permitteret unionem exstinctivam Monasterii de Vega cum Monasterio S. Crucis de Sahagùn.

Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus die 13 septembris anni 1958 decretum promulgavit quo petitam unionem exstinctivam concessit his sub condicionibus: 1.º Moniales Monasterii De Vega Superiorissae OSB Monasterii S. Crucis de Sahagùn subesse tenentur. 2.º Bona Monasterii uniti bonis Monasterii unientis ceduntur cum facultate bona immobilia post unionem exstinctivam peractam alienandi, servatis de iure servandis et 3.º Moniales Monasterii uniti in eadem condicione et in iisdem iuribus censeantur esse quibus in propria communitate fruebantur.

Ast, paulo post executionem dicti decreti et paucis diebus post transmirationem Monialium a Monasterio de Vega ad Monasterium de Sahagùn peractam, domus communitatis de Vega incendio, probabiliter doloso, destruitur. Propterea alienatio boni immobilis communitatis exstinctae et in communitatem unientem versi non amplius pecuniam suppeditavit quae necessaria erat ad partem aedificii Monasterii de Sahagùn restaurandam quae praecipue Monialium habitacioni inserviebat.

Hac de causa et quia etiam hoc in loco adistentia spiritualis necessaria defuit Antistita communitatis adauctae Monasterii de Sahagùn de nova fundacione cogitabat, in dioecesi Zamorensi facienda, eum in finem, ut tota adaucta communitas 35 Monialium Monasterii OSB de Sahagùn eo transferretur in novum adhuc exstruendum aedificium et in locum, ubi sacerdotalis cura abundatura sperabatur.

Episcopus Zamorensis libenter consemsum erigendi novi Monasterii dedit. Episcopus Legionensis in transmirationem partis Monialium in novam fundacionem libenter consensit sed translationi totius communitatis S. Crucis in Dioecesim Zamoremensem sese strenue opposuit.

Quapropter Decretum S. Congregationis de Religiosis et Institutis Saecularibus die 19 maii 1961 emissum vigore facultatum a Summo Pontifice concessarum et praehabito consensu Ordinarii loci sive dioecesis Legionensis sive dioecesis Zamorensis, facultatem tribuit deveniendi ad canonicam erectionem novi Monasterii Zamorensis Monialium OSB in quam pars Monialium Monasterii de Sahagùn transmigrari possent sed cauto, ne hac de causa 'ullo modo vigor vitae religiosae in monasterio originis enervetur neque eidem damnum oeconomicum inferatur'.

De facto, maior pars Monialium Monasterii originis de Sahagùn inter quas omnes de Monasterio unito de Vega provenientes, ad novum Monasterium de Ascensione Zamorense transmearunt, una cum Antistita quae deinde Abbatissa novi Monasterii constituta est. Ipsa tamen in animo habuit obtinendi, favore temporis, ut sensim sine

sensu totum Monasterium originis de facto absorberetur, quippe cum auctoritas ecclesiastica uti vidimus hanc translationem completam statim faciendam prohibuisset.

Superior competens occasione translationis statuit, quoniam bona mobilia ex Monasterio originis ad Monasterium Zamorense transferri possent eademque signo proprio in registro bonorum mobilium notavit. Magna pars istorum bonorum constabat iis bonis quae ex Monasterio de Vega proveniebant, cuius Moniales omnes ad novum Monasterium Zamorense transmearunt.

II. IN IURE ET IN FACTO

A) Haec facta necessarie praemittenda erant, ut quaestio iurium a nobis tractanda intellegatur.

In hac quaestione enim agitur de quibusdam bonis quae a Monasterio de Vega, per unionem suppresso, proveniebant. Abbatissa enim istius Monasterii initio anni 1946 ad Episcopum Dioecesis Legionensis misit quinque imagines in linteo pictas et unam tabulam pictam necnon quattuor libros chorales, ut in Archivo seu Musaeo Dioecesis interim constituto custodirentur, conservarentur et visitoribus exponerentur. Paucis post mensibus etiam quinquaginta documenta membranacea ex archivo dicti Monasterii archivo Dioecesis Legionensis custodienda tradita sunt.

Dioecesis Legionensis Cancellarius documentum exaravit in quo fidem fecit de istis receptis bonis et expresse statuit proprietatem eorum ad Monasterium de Vega permanere et Dioecesim depositariam tantum esse. Ut renuntiatio venditionis ex parte Monasterii recognosceretur Episcopus Legionensis elemosynam mille libellarum hispanensium Monialibus donavit. Dioecesis postea documenta restauravit et in proprio catalogo descripsit.

Per unionem extinctivam inter Monasterium de Vega OSB et Monasterium S. Crucis de Sahagùn OSB omnia bona illius huic tradita sunt ut ex Decreto unionis clare patet.

Sed de facto nemo amplius de istis bonis apud archivum Dioecesis depositis cogitabat neque in Registro rerum mobilium, de quo supra, notabantur, ideoque inter bona translaticia occasione novae foundationis non apparuerunt. Anno tamen 1977, Abbatissa novi Monasterii, anno 1961 in civitate Zamorensi fundati, ad quod Moniales de Monasterio de Vega extincto ex communitate Monasterii S. Crucis de Sahagùn transmigratae erant, eorum restitutionem ab archivo dioecetano Legionensi exposulavit, quatenus bona essent ad novum Monasterium Zamorense pertinentia.

Abbatissae postulanti restitit Archivarius Legionensis coram S. Congregatione pro Clericis, quae rem competenti Congregationi pro Religiosis et Institutis Saecularibus transmisit. Archivario actori propter istius defectum iuris standi in iudicio se substituit Ordinarius loci Legionensis qui etiam post S. Congregationis pro Religiosis mandatum, tradendi scilicet bona deposita Monasterio OSB Zamorensi, tamquam actor contra istam Congregationem causam prosecutus est quae hodie nobis de iudicanda proponitur.

B) Primum documentum de iuribus, de quibus agitur, ab Antistita OSB Monasterii Zamorensis die 30 ianuarii 1978 exhibitum est. Refertur in hoc documento de sessione capitulari communitatis Monasterii de Sahagùn eiusdem diei in qua unanimi voto proprietates legitima bonorum in tabulario Legionensi depositorum Monasterio Zamorensi attribuitur. In calce huius documenti exstat nota manu Secretarii illius temporis S. Congregationis de Religiosis die 21 decembris 1978 scripta, qua eadem Congregatio

declarat illa documenta imaginesque a Monasterio de Vega provenientia constituere proprietatem communitatis Monialium OSB Zamorensis.

Contra hoc documentum ab Abbatisa Monasterii Zamorensis Episcopo Legionensi transmissum iste Episcopus ad eandem Congregationem pro Religiosis et Inst.tis Saec.ribus recursum proposuit die 20 ianuarii anni 1979 petens, ut ius proprietatis bonorum de quibus agitur Monasterio OSB de Sahagùn atque eorum depositum legitimum apud Tabularium Dioecesis Legionensis recognoscerentur.

S. Congregatio tamen die 15 maii eiusdem anni, cum interim Episcopus Legionensis ad sedem Flaviobrigensem (Bilbao) translatus esset, Administratori Apostolico Legionensi i. e. Archiepiscopo Vallisoletano desiderium expressit ut recognosceretur proprietas pacifica bonorum, de quibus agitur, Monasterio Zamorensi, cum continuatio Monasterii de Vega haberi deberet et ut res cum Tabulario Legionensi pacifice componeretur.

Huic desiderio obsecundavit dictus Administrator Apostolicus disponens, ut bona Monasterio Zamorensi traderentur non obstante dubio de titulo proprietatis.

Contra hanc dispositionem iterum sollers Custos Tabularii seu Archivi et Musaei Legionensis Dioecesis recursum interposuit die 7 augusti, quippe cum non constaret de subiecto proprietatis ideoque neque de obligatione depositarii reddendi bona depositi.

Ex.cus Administrator tamen, non obstante hoc recurso, traditionem documentorum membranceorum depositorum intra quindecim dies Monasterio Zamorensi faciendam iussit, die 5 septembris 1979.

Tunc Custos Archivi ubi documenta deposita exstabant die 19 septembris recursum interposuit ad S. Congregationem pro Clericis, qua tamen die 10 octobris causam S. Congregationi pro Religiosis et Institutis Saecularibus remisit.

Haec tamen S. Congregatio die 28 februarii 1980 novo Episcopo Legionensi Decretum transmisit, quo definitive statuitur proprietatem omnium bonorum quae anno 1946 a Monasterio OSB de Vega apud Archivum Dioecesis Legionensis deposita sunt, recognoscendam esse Monasterio OSB Zamorensi non obstante defectu notificationis explicitae in illa tabula, tunc ab auctoritate competenti approbato, omnium bonorum quae a Monasterio de Sahagùn ad novum Monasterium Zamorense transferenda erant. Statuit insuper contractum illius depositi vim habere inter Centrum Studiorum Dioecesis Legionensis et Monasterium OSB Zamorense.

Contra hoc Decretum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus Custos Archivi Legionensis recursum proposuit ad Sectionem Alteram huius Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis. Cum tamen hic Custos non haberet personam standi in iudicio, Ordinarius ipse Dioecesis Legionensis die 27 maii 1980 petivit sententiam definitivam de hac re iam nimio tempore agitata.

Patronis utriusque partis constitutus qui proprium defensionis votum exhibuerunt, itemque Promotore iustitiae in persona Rev.mi Patris Cangoiti, O.P., deputato qui suum quoque votum pro rei veritate exaravit cui Patroni responderunt, die 30 aprilis 1985 hoc Supremum Tribunal Decreto statuit, ut tentamen compositionis pacificae inter partes litigantes experiretur. Quod cum incassum evaserit Secretarius huius Tribunalis die 4 decembris 1985 decernit, ut ad ulteriora procedatur et die 10 decembris eiusdem anni in Sede Supremi Tribunalis dubium concordatum est sub formula: 'An constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 28 februarii 1980, prot.n.3332/60.'

C) Nunc autem, ut de violatione legis necne vel in procedendo vel in decernendo in casu recte iudicari possit necesse est ut praeprimis constet de quanam lege vel de quonam iure in casu nostro agatur.

Ut ex specie facti enarrata clare patet, quaestio fundamentalis est condicio iuridica inter litigantes circa obiectum litis. Absque dubio agitur de contractu depositi, quis scilicet sit deponens et quis sit depositarius bonorum de quibus agitur et quatenus iura regant huiusmodi contractum.

Circa contractus sive ius veteris Codicis IC in can.1529 sive ius novi Codicis IC in can.1290 iisdem fere verbis canonizat ius civile territorii in quo contractus stipulatur. Quoad contractum depositi ius civile hispanicum certo certius applicandum est quod de hac re statuit:

Art. 1766 Codicis Civilis Hispanici dicit: 'El depositario está obligado a guardar la cosa y restituirla, cuando le sea pedida, al depositante o a sus causahabientes o a la persona que hubiere sido designada en el contrato.'

Art. 1777: 'El Depósito debe ser restituido al depositante cuando lo reclame, aunque en el contrato se haya fijado un plazo o tiempo determinado para la devolución. Esta disposición no tendrá lugar cuando... se haya notificado a éste la oposición de un tercero a la restitución de la cosa depositada.'

Art. 1779: 'El depositante está obligado a reembolsar al depositario los gastos que haya hecho para la conservación de la cosa depositada y a indemnizarle de todos los perjuicios que se le hayan seguido del depósito.'

Secundum hanc legem canonizatam Depositarius noster i.e. Archivum Dioecesis Legionensis illa bona deposita restituere debet depositanti vel eius successori iuridico qui est in casu nostro, absque ullo dubio, Monasterium S.Crucis de Sahagun quod, ut supra vidimus, per unionem extinctivam cum Monasterio de Vega omnia bona acquisivit, quae antea ad istud Monasterium pertinebant. Haec bona nec postea, occasione novae foundationis Monasterii Zamorensis ad hoc transierunt, quia in registro ab auctoritate competenti statuto bonorum quae a Monasterio originario ad Monasterium Zamorense transferenda erant, haec bona deposita non exstabant neque implicite comprehendebantur cum ab auctoritate novam foundationem concedente expresse statutum sit Monasterium a quo i.e. de Sahagun nullum detrimentum oeconomicum ex nova fundatione pati debere et secundo, quia actus administrativus, quo occasione translationis partis communitatis ex originario ad novum Monasterium bona quaedam mobilia ex titulo proprietatis vel donationis Monasterio Zamorensi concessa sunt, stricte interpretandus est secundum can. 50 veteris CIC et can. 36 novi CIC. Quod ergo expresse non conceditur, non comprehenditur in iure translationis.

Nec alio quodam titulo illa bona postea e patrimonio illius ad patrimonium istius translata sunt, quia illa declaratio Communitatis Monasterii de Sahagun solummodo occasione litis, post 16 annos a tempore translationis, ideoque tempore suspecto et quasi fraudulenter facta est et numquam actum novae transmissionis patrimonii illorum bonorum constituit neque constituere potuit, cum indigeret, ratione qualitatis et pretii bonorum pro alienatione, permissione S.Sedis quae numquam qua talis postulata et ideo numquam reapse concessa est qua neque Monasterium neque S.Congregatio pro Religiosis de ea cogitabat.

Mirum est omnino quod haec S.Congregatio in documentis de re nostra missis dicat ex actis in Congregatione exstantibus probationes habere, ex quibus ius patrimonii illarum rerum depositarum apud Monasterium Zamorense esse cum reapse ex istis documentis potius contrarium eruitur.

Ex iure hispanico de contractibus insuper patet (Art. cit. 1777) restitutionem depositi, quamvis a depositante postulata sit, non debere executioni mandari si communicata est oppositio tertii contra talem restitutionem.

Idem ius hispanicum insuper statuit (Ar. 1779) depositantem depositario omnes

expensas solvere debere, quas iste in conservatione depositi habuit et insuper omnia detrimenta a depositario passa huic resarcire debere.

Decretum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus quod impugnetur ex triplici ergo capite contra legem egit: primo imponendo Depositario i.e. Ordinario loci Legionensi cessionem depositi Monasterio OSB Zamorensi faciendam, cum hoc Monasterium neque depositans neque eius legitimus successor fuisset. Secundo cum oppositio tertii i.e. Directoris Musaei contra restitutionem adesset et tertio quia nihil de obligationibus legalibus ex restitutione nascentibus in Decreto statuit.

Quibus omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensis, Collegium Em.morum Patrum Cardinalium, pro Tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, Christi nomine invocato, proposito dubio respondendum censuit uti respondet: 'A F F I R M A T I V E seu constare de violatione legis in decernendo relate ad actum Congregationis pro Religiosis et Inst.tis Saecularibus diei 28 februarii 1980, prot.n.3332/80.'

(Sign.ti) Aurelius Card. Sabattani, Praefectus
 Bernardinus Card. Gantin
 Silvius Card. Oddi
 Petrus Card. Palazzini
 Opilius Card. Rossi
 Marius Aloisius Card. Ciappi
 Aloisius Card. Dadaglio
 D. Simon Card. Lourdusamy
 Rosalius J. Card. Castillo Lara
 Eduardus Card. Gagnon
 Alphonsus Card. Stickler, Ponens

L + S

ET NOTIFICETUR

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 22 augusti 1987.

Zenon Grocholewski, Secr.

Vicentius Cárcel Ortí, Canc. Mod.